Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2943

Quelle:
Copyright:

Epactarum, Festorumque mobilium notiones et regulas. Ad cujusvis *Mensis* calcem de ejus nomine ex antiquitate *Romana* differitur additis etiam *Poetarum* locis. Occurrunt et alia ad singulos paene *Menses*. Ita ad *Januarium* brevis institutio de Festo *Epiphaniae*, et versus de D. *Paulo converso:*

Paulus gesta loquens socios sibi lumina dudum
Conspexisse suos. uocem tamen auribus illam
Non hausisse refert &c.

qui nec *Aratoris*, nec *Damasi*, nec *Prudentii* sunt. Ad *Februarium* origo Festi *Purificationis*. Ad *Majum* Methodus quaedam superstitiosa evadendi omnia pericula &c. Adhaeret Tabula de *Septuagesima*, *Paschate* et *Adventu* celebrandis, brevis item Catechesis de Oratione Dominica, Confessione, principalibus Vitiis, septem Modis peccata purgandi, octo Beatitudinibus, de Avaris e *Gregorio* M. Testimonia de Poenitentia *Salomonis*, XV. Signa totidem dierum ante extremum Iudicium, quae *Hieronymo* tribuuntur, Responsa *Nicolai* P. de Presbytero uxorato et adultero.

II. *fol.* 9. sequitur *Missale* non alia inscriptione, quam: *In natali plurimorum patriarcharum.* Oratio. *Deus qui in opere abrahę famuli tui humano generi obedientię exempla prebuisti. concede nobis omnium patriarcharum precibus ac meritis. et nostrę prauitatis uoluntatem frangere. et tuorum rectitudinem preceptorum in omnibus adimplere.* &c. Ita procedunt *Missae* tam communes quam propriae nullo temporum ordine observato usque ad *fol.* 14. p. 2. et *Missam In Natali Domini*, a qua deinceps ordine Mensium per totum anni circulum decurrunt. Sanctorum hic minus cognitorum magnus est numerus. Ita invenias *Annam* Virg. *Nicanorem* Levit. *Magnericum* Ep. *Projectum et Amarinum* Martt. *Marum* Ep. *Brigidam* Regin. *Phyleam* Ep. *Altonem* Conf. *Emitherium et Celedonium* Martt. *Abam* Virg. *Plaudegarium* Conf. &c. Habes et Missam de *Eductione Domini ex Aegypto*, de *Inuentione Johannis Bapt.* de *Inventione Sanguinis Domini* &c. *Germanicae* tamen Ecclesiae *Missale* hoc olim deserviisse produnt multa SS. *Germanicorum* nomina. Missis adnectitur Benedictio Palmarum, Ordo Feriae VI. in Parasceve, Series Orationum pro diversis necessitatibus. Missae Hebdomadariae, Benedictio ignis, Sequentia Paschalis, et Missa in Cimiteriis hanc Partem *Codicis* absolvunt.

III. *fol.* 58. Absque omni titulo, ab elegantiore manu sequitur duabus columnis *Tonarius Bernonis* Abb. *Augiensis*, qui an. 1048. obiit. Edidit Musicum hoc Opusculum e *Bibl. Vatic. Cod. Palatino* collato cum *Admontensi* inter *Scriptores Eccl. de Musica Sacra.*

Cel-